

dit explicationem? Num vero, ut sessionis una gloria duplicatur, combinaturque ex infinita & huic proxima, ita & duplex interpretatio, una est, & optima, & simplicissima?

§. 22. Ait 4. *Pater in summo & nobilissimo suo throno considere dicatur, ob primam & summam ejus majestatem &c.* Atqui in hunc thronum, per sessionem ad dextram Patris, exaltatus Christus est. Noli ergo ponere vel imaginari juxta hunc thronum alium thronum, eique proximum, & inferiorem eo, in quo, sedens ad dextram Patris, Christus sedeat. Vel, si tuam sequi mavis imaginationem, cum sedentem vel stantem ad dextram Patris, Christum, dicas insistere convexæ superficiei coeli summi & empyrei, & parte sui, vel, se toto, esse in spatio extra & supra mundum, indeque intueri & moderari totum mundum, ut suis pedibus subiectum, quæso te, ubi summum illum & nobilissimum thronum Patris constituis? Num in superiore & altiore spatio extramundano? Cum vero, juxta scripturam, altitudo throni divini, non locis, vel spatiis metienda sit, vel concipienda; sed majestatis gloriæque sublimitate definienda vel intelligenda; omnis difficultas sic erit expedita, simul etiam simplicitas fidei stabilita: Christum sedentem ad dextram Patris, una cum Patre gloria & majestate implere omnia, hoc est, coelos omnes, & quæ in coelis, vel sub illis omnibus sunt, omnia. §. Verum quidem est, scripturam *ad nostros descendere conceptus*, sed non fine eo, ut his inhæreamus, & ut sub his imaginibus veritatem adumbratam capiamus, non umbram teneamus veritate dimissa. Tribuit scriptura, quando ad nostros descendit conceptus, Deo oculos, manus, aliaque hominis membra. Quibus Anthropomorphitarum error non stabilitur, sed veritas ipsa his imaginibus adumbrata, intuenda sistitur. Pari ratione in explicatione Sessionis Christi ad dextram Patris versabimur, & gloriam sedentis ad dextram Patris, non definiemus loci altitudine, vel diversitate loci vel status dextri ad statum, vel locum, cujus respectu dexter ille dicatur; verum simpliciter gloria majestatis divinæ, & paternæ potentiae virtutisque.

§. 23. Et 6. exemplum *matris Salomonis regis* huc non pertinet. Ea enim in thronum regni exaltata non fuit, neque assumpta *Salomonis*.  
6. mater  
in con-